Imo laborem plerumque minues præsertim in Æquationibus plurimarum dimensionum, si figuras omnes Quotienti addendas dicto modo (hoc est extrahendo minorem radicum, ex tribus ultimis terminis Æquationis novissime resultantis) exquiras: Isto enim modo figuras duplo plures qualibet vice Quotienti lucraberis.

Hæc Methodus resolvendi Æquationes pervulgata an sit nescio, certe mihi videtur præ reliquis simplex, & usui accommodata. Demonstratio ejus ex ipso modo operandi patet, unde cum opus sit, in memoriam facile revocatur.

Æquationes in quibus vel aliqui vel nulli Termini desint, eadem fere facilitate tractantur; & Æquatio semper relinquitur, cujus Radix una cum acquisita Quotiente adæquat Radicem Æquationis primo propositæ. Unde Examinatio Operis hic æque poterit institui ac in reliqua Arithmetica, auferendo nempe Quotientem a Radice primæ Æquationis (sicut Analystis notum est) ut Æquatio ultima vel Termini ejus duo tresve ultimi producantur inde. Quicquid laboris hic est, istud in Operatione substituendi quantitates unas pro aliis reperietur: Id quod varie perficias, at sequentem modum maxime expeditum puto, præsertim ubi Numeri Coefficientes constant ex pluribus Figuris.

Sit $p+3$ substituenda pro y in hanc $y^4-4y^3+5y^2-12y+17=0$. Et cum ista possit resolvi in hanc formam

$\overline{\overline{\overline{y-4}\times y+5}\times y-12}\times y+17=0$. Æquatio nova sic generabitur $\overline{p-1}\times\overline{p+3}=p^2+2p-3$. et p^2+2p+2 in $p+3=p^3+5p^2+8p+6$. et p^3+5p^2+8p-6 in $p+3=p^4+8p^3+23p^2+18p-18$. et $p^4+8p^3+23p^2+18p-1=0$, quæ quærebatur.